165, 777



QUÆSTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPUTATIONIBUS MANE DISCUTIENDA IN SCHOLIS MEDICORUM,

Die Jovis 19. Martij,

M. JACOBO THEVART,

DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An ex aëris & diætæ vitio ſcorbutus?

I.

QUICUNQUE humanum corpus infeſtant morbi, aut ex proprio cujuſque vitio, peculiari diæta & errore in victus ratione commiſſo, aut ex univerſali quadam omnibus cauſa procedunt. Illi diſperſi, hi communes nuncupantur. Univerſalium cauſarum prima & potentiſſima aër eſt μέγιςος δυνάςης, cujus uſus cunctis viventibus neceſſarius. Ab eo eſculenta ſunt & potulenta omnibus ex æquo obvia. Inter morbos communes & contagioſos ſuo merito annumeratur ſcorbutus, affectus non novus, nec hoc ſolùm ſæculo obſervatus, ſed Hippocrati, aliiſque veteribus cognitus exquiſitè. An idem ille eſt qui in Germania trans Rhenum, caſtris à Germanico Cæſare poſitis maritimo tractu totum vexavit exercitum, ubi aquæ cujuſdam dulcis & fontanæ potu intra biennium dentes deciduos compagiſque genuum laxamenta paſſim obſervare licuit. Certè illud vitij ſtomacaccen & ſcelotyrben Medici vocavere, quòd eo laborantibus & os κακκὴν oleret, ob maligna ulcera ſupercreſcentemque in gingivis putridam fœtidamque carnem, & crura pe-

778

desque gradiendi impotentiam paralyseos æmulam contraherent ob nervorum è lumbis prodeuntium à maligno sero madefactionem. Accedunt diri cruciatus ventris quibusvis medicamentis ægrè curabiles, fœdus faciei color, maculæ nigricantes, quorum ratione oscedo, gingipedium, arquatus niger, vitiligo nigra, & ileus hæmatitis pravus ille affectus à variis appellatus fuit.

II.

SCILICET scorbutus cachexia est & mala corporis nutritio occultave quædam qualitas toti corpori, sed præcipuè lieni impressa, quam potissimùm parit humor melancholicus, crassus, fœculentus, & serosus, peculiari ratione corruptus. Hujus certa sunt τεκμήρια, lienis durities, hypochondriorum tensio, tussis, spirandi difficultas, crurum & pedum tumor œdematosus, renum dolor, lumborum gravitas, lassitudo corporis, fœdus faciei color, gingivarum corruptio, oris graveolentia, cum ulceribus variis, ventris segnitie, doloribus γειρομένοις, maculis ex rubro livescentibus. Tam diri affectus causam si quæras, prava est vivendi ratio aëris impuritati juncta, à quibus viscerum fit κακοπεψία, malignæ istius luis parens & origo. Hæc non una ratione virus suum confert: quosdam contagione adoritur fœdiore osculo, ut olim mentagra Plinij, alios accubitu, alios compotatione; quæ parentalis est & hæreditaria, illa ἀνίατος; quæ à solemni mensium, hæmorrhoidum, varicum suppressione orta, δυσέκπλυτος. In Gallia scorbutus ante aliquot annos vix notus, in plagis Septentrionalibus, Frizia, Pomerania, Saxonia, & maris Balthici accolis endemium erat & vernaculum malum, velut in littore Britannico, ubi abundè cochlearia luis scorbuticæ alexipharmacum, sponte se profert, quasi Dei optimi max. sapientiâ factum sit, ut ubi ob loci naturam morbi aliqui vernaculi & endemij sunt, ibi domestica remedia ad manum veniant, & copiosè luxurient.

III.

LIEN jecori oppositum viscus tanquam ἀντίζυγον & nothum hepar mirâ naturæ providentiâ factum fuit ut laboranti jecori subveniat ad sanguinis confectionem. Hac peracta vi & calore parenchymatis, cui funus malè dixere quidam, bilis ad vesiculam fertur, serum ad renes & vesicam, melancholicus humor per ramum splenicum ad lienem. Hunc autem dum proprio calore & arteriarum motu subigit, attenuat, & ad sui nutritionem disponit, crassior & fæculentior portio, quæ partis conatum elusit, nunc in portam & intestina, nunc in ventriculum & renes fausto secessu amandatur. Itaque eo defæcandi depurandique munere si frustretur lien, totius corporis œconomia perturbatur, labefiunt humores, spiritibus tenebræ offunduntur, teter & malignus ad cor & cerebrum effertur vapor: Quid plura? Ab hujus licet ignobilioris visceris infarctu dependent melancholia hypochondriaca, icterus niger, fœdi virginum & mulierum colores, & tandem Hippocratis lienes magni, seu, quod idem est, scorbutus noster; dum enim à liene principis velut fisco, ma-

lignus quidam humor & ichoroeidis exundat in varias corporis partes, oris graveolentiam, crurum impotentiam, fluxiones erraticas & rheumaticas diatheses excitat, fixasque & consistentes in certis partibus destillationes parit: sic quibus lien floret, iis corpus minuitur & contabescit, viscusque hoc arboribus meritò simile dici potest, quarum radices amaræ & ingratæ, fructus verò dulcissimi.

IV.

INSPIRATI & circumfusi aëris, ut cibi & potus ad immutanda corpora magna vis est & efficacia. Ille morborum opifex qualitatum immoderatione, substantiæ vitio, & subitâ insolentique mutatione non minima damna confert. Cibus autem & potus dum permanentem & inhærescentem materiam suppeditant, gignendis morbis pabulum non læve sufficiunt. Ad declinandam luem scorbuticam, tanti facienda est aëris, esculentorum & potulentorum bonitas & salubritas, ut melior diæta morbi teterrimi præsens observetur auxilium: Liquet illud belle vel eorum testimonio qui Indiam orientalem navigarunt, apud quos pro comperto est, scorbuticos in navibus aëris cibique & potus vitio factos & pro conclamatis habitos, ubi in insulas transferuntur paucorum mensium spatio, levi aliquo præsidiorum usu pristinæ valetudini restitui. Hanc labem qui refugit, eligat aërem purum, tenuem, bene temperatum, qui sanguinem attenuet, spiritus collustret, coctionem juvet, & excrementorum expurgationem procuret: Caveat cane pejus & angue crassum, densum, caliginosum, nebulosum, alienæ rei permistione inquinatum, hominumque halitibus multis conspurcatum: nec minor sit in cibis delectus, qui euchymi & ἀπέπτοι usurpentur, vitatis carnibus bubulis, porcinis, & maximè salis conditurâ diù asservatis, piscibus item, leguminibus, lacticiniis, aliisque crassæ compactæque substantiæ eduliis: Panis oggeratur siligineus aut similaceus, non ater, azymus, biscoctus, nauticus, & spumâ cervisiæ fermentatus: Potus sit divinus, non pelusiacus, sit & aqua purissima, levissima scorzonerâ, cochleariâ, nasturtio, & similibus medicata, non putealis, stagnans, & nimiâ morâ fœteus: nec vino interdicatur, quod velut potulentorum optimum & cordi amicum spiritus reficere humoresque corporis aut facere meliores aut laudabiles conservare potest.

V.

UT nulli ætati, sexui, regioni parcit scorbutus, ita nullo non tempore sævit & debacchatur: Vernâ tempestate saluberrimâ licet quâ cuncta animalia nimietate verni pabuli quodammodo exhilarata lasciviunt, corporaque vitiosis humoribus repurgata novis velut succis repubescunt, frequentissimè tamen grassatur; vexat & perfacilè autumno, quo tempore febres quartanæ, erraticæ, aliique homogenei affectus sobolescunt. Contumacem hunc & refractarium hostem si perdomare contendas, institutâ victus ratione, aërisque delectu facto, à venæ sectione ducendum initium, modò non a ' leipothymiam, ut in acutis

febribus; ſalvatellæ apertio ab Anglis in hoc affectu probata, & ab Arabibus in morbis melancholicis pluris æſtimata, magni eſt apparatus & pauci proventus; purgationes blandæ & frequentes primùm, dein ἀδρο-τέρως factæ multam impuritatis omnis generis copiam educant; Ab emetico & hydrargyroſi nihil opis expectandum: Opiatæ antiſcorbuticæ purgantes & cardiacæ ex theriaca, Confectionibus Alkermes & de hyacintho veniant in ſubſidium, additis ſuccis cochleariæ, naſturtij aquatici, beccabungæ, abſinthij, chelidonij, fumariæ, aliarumque herbarum ſale volatili copioſo abundantium. His artibus craſſus melancholicuſque humor attenuetur & incidatur, ſimulque huic adjuncta cacoethia corrigatur & emendetur: Neque verò omittenda ſunt topica remedia, emplaſtra, cataplaſmata, fotus, litus, ad lienem, crura, tibias, lotiones & gargariſmata ad gingivarum exulcerationes & oris graveolentiam, quibus, ſed potiſsimùm aëris & loci mutatione, laudabili victus ratione & convenienti rerum omnium adminiſtratione, curâ & diligentiâ Illuſtriſſimorum & Sapientiſsimorum D. D. Rectorum Noſocomij Pariſienſis factum fuit ut inſtitutâ ſcorbuticorum ad D. Ludovici valetudinarium tranſlatione, contagioſa & maligna iſthæc lues ſcorbutica, anno præterito latè ſuum virus explicans, paucorum menſium ſpatio fuerit coërcita &propè penitùs extincta.

Ergo ex aëris & diætæ vitio ſcorbutus.

Proponebat Lutetiæ GUILLELMUS LAMY, Conſtantienſis, A. R. S. H. MDCLXXI.

PARISIIS,
Ex Typographia FRANCISCI MUGUET, Regis Typographi, viâ Citharæ.